OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS ESSENDIENSIS
TOMUS PRIOR

Die 2 decembris
S. PETRI
CHRYSOLOGI
Ep., Conf. et Eccl. Doct.
III classis

Ut in Breviario die 4. Ad Laudes commemoratio feriæ Adventus et S. Bibianæ Virg. et Mart. Ad Vesperas commemoratio feriæ Adventus.

Die 4 decembris
S. BARBARÆ
Virg. et Mart.
III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Bárbaram vírginem Nicomedíæ in persecutióne Iúlii Maximíni ineúnte sæculo quarto passam esse tradunt. De cuius vita et martýrio multa legúntur miraculósa. A multis tamen retro sæculis invocátur a fidélibus sancta Bárbara ut moriéntium patróna, præcípue ad rite percipiénda in último morbo ecclésiæ sacraménta. Quaprópter antíquitus ab illis, qui cotídie fere in mortis perículo verséntur, exémpli grátia a metállicis et a milítibus, qui béllica torménta adminístrant, singulári veneratióne est affécta. Eádem de causa in regiónibus ad Ruram amnem sitis ii operárii, qui labóre gravi et periculóso carbónes ex ima terra effódiunt, sanctam Bárbaram semper veneráti sunt eiúsque suffrágiis usque adhuc se comméndant. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus; per eius ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio feriæ.

AD VESPERAS

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Et fit commemoratio feriæ.

Die 1 martii
S. SUITBERTI
Ep. et Conf.
III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Suitbértus monastérii Dacorénsis in Anglia abbas, Egbérti magnæ sanctitátis viri adhortatiónibus excitátus, ut Germániæ pópulis adhuc infidélibus Evangélii lucem afférret, una cum sancto Willibrórdo decémque áliis viris apostólico zelo flagrántibus a sancto Sérgio Summo Pontífice anno Dómini sexcentésimo nonagésimo ad prædicándum illis géntibus missus est. Pipínus, dux Francórum, viros apostólicos gratánter suscépit et in locis Mosam inter et Rhenum, eos prædicáre fecit: ubi intra breve tempus multos ab idololatría ad Christi fidem convertérunt. Sed cum Suitbértus morum modéstia et cordis mansuetúdine emicáret, a frátribus, qui in Frísia verbi ministério fungebántur, eléctus est, ut ordinarétur antístes. Proféctus ígitur in Británniam Suitbértus a Wilfrído consecrátus est epíscopus et inde in Germániam regréssus, non multo post secéssit ad gentem Boructuariórum atque in regiónibus inter Líppiam Rurámque amnes sitis Evangélium eo succéssu prædicávit, ut ex hoc pópulo multos ad viam veritátis perdúxerit. Sed cum antíqui Sáxones non longo post témpore Boructuários expugnássent, christiáni huc illuc dispérsi sunt; et Suitbértus interpellánte Plectrúde a Pipíno locum mansiónis obtínuit in ínsula quadam Rheni, quæ vocátur: In líttore, in qua ipse constrúcto monastério aliquámdiu in máxima continéntia vixit et circa annum septingentésimum décimum séptimum diem clausit extrémum. Vir in vita sua ómnibus virtútibus christiánis ornátus et post mortem miraculórum glória clarus magna fidélium, eórum præsértim, qui angína labórant, devotióne cólitur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Suitbérti Confessóris tui atque Pontíficis veneránda sollémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Die 15 martii
S. CLEMENTIS MARIÆ HOFBAUER
Confessoris
III classis

Tempore quadragesimali fit commemoratio in Laudibus tantum.

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Cleméntem Maríam miro fidei róbore et invíctæ constántiæ virtúte decorásti: eius méritis et exémplis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritáte ferventes; ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum.

Die 26 martii
S. LUDGERI
Ep. et Conf.
Patroni secundarii Diœcesis
II classis
Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter ea quæ hic habentur propria.

AD MATUTINUM
In I Nocturno lectiones Fidélis sermo, de Communi 1 loco.

In II Nocturno
Lectio iv

Ludgérus, Monasteriénsium protoepíscopus, in Frísia nóbili loco natus, a téneris ea meditári cœpit, quæ póstea devótus implévit. Lítteris, quarum singulári desidério tenebátur, a sancto Gregório, ecclésiæ Traiecténsis ad Rhenum rectóre, imbútus, póstea Eboráci in Anglia ab Alcuíno plénius erudítus est. Revérsus in Germániam, hortánte Alberíco Traiecténsi, apud Davéntriam, dein in Frísia occidentáli eo succéssu prædicávit, ut sua illum fana et delúbra destrúere ínclolæ vidérent et paterémtur. Alberícus cum Colóniæ consecrarétur episcopus, curávit, ut Ludgérus ibídem présbyter ordinarétur. Inde hic in Frísiam revérsus est: quam annis fere septem apostólico labóre excóluit, donec a duce Sáxonum Wittichíndo, incénsis ecclésiis, cum áliis Evangélii præcónibus pellerétur. Oblátum sibi a Cárolo Magno Treverénsem episcopátum recusávit, ásserens, adésse álios, se et doctióres et dignióres: sibi autem rudes pópulos mélius convenire.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. (T. p. Allelúia.) ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Cum ínsulam quandam idololatría immérsam, accépta in manus cruce, et preces ad Deum cum láudibus fundens, e navi subíret, tenebrósa calígo de ínsula egréssa est, quam magna serénitas excépit: quo indício animátus Ludgérus delúbra destrúxit, et íncolis fidem prædicans, illos per baptísmum Christo acquisívit. Convérsis póstea cum Wittichíndo Saxónibus, ecclésiam Mimigernifórdi Ludgéro Cárolus commísit: ubi ille monastérium constrúxit sub régula canónica Christo famulántium: unde deínceps locus Monastérium appellátus est. Quamvis autem ecclésiam illam sédulo excóleret, honórem tamen episcopátus humíliter declinávit: donec, urgénte Hildebóldo, qui tunc Coloniénsem metrópolim habébat, episcopum se ordinári passus est, ne Deo resístere viderétur.

℟. Pósui adiutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. (T. p. Allelúia.) ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Egenórum pater, sui autem egrégius contémptor fuit: cilício ad mortem usque usus est. Normánnicam invasiónem, de qua nemo tunc cogitábat, prædíxit. Cæcum, cui, sacra prius confessióne expiáto, crucis signo visum réddidit, iureiurándo obstrínxit, ut factum siléntio tégeret. Hóminem láicum, sed pium, per domos misit, qui matres rogáret, ut moritúros infántes baptizári sínerent: quique baptizatórum supérstites erant, eos ipse supervéniens sancti chrísmatis impositióne confirmábat. In último morbo síngulis fere diébus ad aram faciébat: ita ut extrémo vitæ suæ die, primo Cœsféldiæ, dein Billerbéci sacrum sermónem habúerit, et utróque absolúto, última Missárum sollémnia celebráverit. Nocte vero subsequénte sanctam ánimam Deo réddidit. Sepúltus est in Werthinénsi ad Ruram a se constrúcto monachórum habitáculo, uti vivens ipse mandáverat, et multis post mortem miráculis cláruit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína eius repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. (T. p. Allelúia.) ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 4, 16-21

In illo témpore: Venit Iesus Názareth, ubi erat nutrítus, et intrávit secúndum consuetúdinem suam die sábbati in synagógam, et surréxit légere. Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

(Expos. in Luc. lib. II)

Intrávit Iesus die sábbati in synagógam, ut ritum legis Mosáicæ cúmulo grátiæ cæléstis adimpléret. Et surréxit légere, et tráditus est illi liber prophétæ Isaíæ. Indícium quidem humíllimæ dispensatiónis est, qua Deus inter hómines ministráre, non ministrári vénerat, quod étiam lectóris suscípere non dedignátur offícium. Sed altióre providéntia Lucas a lectióne et explanatióne prophétæ gesta Dómini scriptúrus inchoávit, quia scílicet omnis prophetíæ Scriptúra ad ipsum usque pertíngens, per ipsum nobis aperiénda, et in ipso constíterit adimplénda.

℟. Exhíbuit seípsum sicut Dei minístrum: * In multa patiéntia, in castitáte, in sciéntia, in caritáte non ficta. (T. p. Allelúia.) ℣. Suscipiébat omnes prædicans regnum Dei. In.

Lectio viii

Spíritus Dómini super me. Non quod Dóminus Deus hábeat Dóminum Deum, sed quod iuxta dispensatiónem carnis assúmptæ dicat ea, quæ humília sunt. Ad quem Psalmísta iam díxerat: Dilexísti iustítiam et odísti iniquitátem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. Quando enim consórtes nominántur, natúram carnis intéllege, qua Deus consórtes substántiæ suæ nos habet. Et quia erat únctio spiritális, idcírco præ consórtibus, id est, céteris sanctis unctus esse memorátur. Cuius únctio illo expléta est témpore, quando baptizátus est in Iordáne, et Spíritus Sanctus in spécie colúmbæ descéndit super eum, et mansit in illo. Unctus est

ígitur óleo spiritáli et virtúte cælésti, ut paupertátem condiciónis humánæ thesáuro resurrectiónis rigáret ætérno, captivitátem mentis auférret, cæcitátem illumináret animórum. Beáti, ínquiens, páuperes, quia vestrum est regnum Dei. Et íterum: Si vos Fílius liberáverit, vere líberi éritis. Et íterum: Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ.

℟. Osténdit ex bona conversatióne operatiónem suam, * In mansuetúdine sapiéntiæ. (T. p. Allelúia.) ℣. Potens exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere. In. Glória Patri. In.

Lectio ix

Et cum plicuísset librum, réddidit minístro, et sedit. Librum Dóminus ómnibus qui áderant audiéntibus legit, lectum vero ministro réddidit. Quia sicut ipse álibi testátur, cum esset in mundo, palam locútus est mundo, semper docens in synagóga et in templo, quo omnes Iudæi convenire consuéverant. Sed ad cæléstia regressúrus, his qui ab inítio ipsi vidérunt, et ministri fuérunt sermónis, evangelizándi offícium trádidit. Et bene stans quidem legit, sed libro réddito resédit. Stare enim, operántis; sedére, quiescéntis vel iudicántis est. Quia Dóminus Iesus Christus, ut viam nobis sciéntiæ quæ de se erat scripta patefáceret, ad tempus in carne dignátus est operári. Perácto autem piæ dispensatiónis officio, discípulos suæ doctrínæ sequáces elégit, seque supérnæ quiétis sólio restítuit, unde et nunc occúlta iudício cuncta dispénset, et in fine totíus sæculi iudex maniféstus appáreat. Simul exémplum mýstice propónens, ut verbi quisque prædicátor eiúsdem sit étiam factor. Surgat, legat, et resídeat: hoc est, operétur, prædicet, et sic prémia quiétis exspéctet.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. p. Allelúia.) ℟. Et osténdit illi regnum Dei. (T. p. Allelúia.)

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus. (T. p. Allelúia.)

Oratio

Deus, qui beátum Ludgérum Antístitem assíduum veri lúminis amatórem et præcónem effecísti: concéde; ut, eius exémplis et oratióne suffúlti, firmi in fide inveniámur et caritátis fervóre succénsi. Per Dóminum nostrum.

Et, tempore quadragesimali, fit commemoratio feriæ.

Ad Horas minores antiphona et psalmi de feria currenti.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. p. Allelúia.) ℟. Et osténdit illi regnum Dei. (T. p. Allelúia.)

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum. (T. p. Allelúia.)

Et, tempore quadragesimali, fit commemoratio feriæ.

Completorium de dominica.

Die 7 aprilis

S. HERMANNI IOSEPHI

Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Hermánnus Colóniæ Agrippínæ sæculo decimosecúndo exeúnte natus a prima infántia tenérrimo erga Deíparam Vírginem amóre refúlsit, quare inter innúmeros favóres beatíssima Virgo eum Ioseph vocári vóluit. Puérulus Deíparæ ecclésiam, in Capitólio nuncupátam, frequentáre, et imáginem, oblátis étiam puerílibus munúsculis, honoráre consuévit. Cum autem iam duódecim esset annórum, ad ecclésiam Steinfeldénsem, nunc Aquisgranénsis Diœcésis, sacri Ordinis Præmonstraténsis perdúctus níveo eiúsdem sacræ religiónis amíctu indútus est. Cœpit puer religiósus trédecim iam annórum tam apud Deum, quam apud hómines proficere sapiéntia et ætáte. Plura compósuit cármina pietátis plena in

honórem Christi Dómini, beatíssimæ Vírginis, sanctæ Ursulæ et Sociárum eius, quarúmque in ecclésia, quando Colóniæ commorabátur, sacrosánctum sacrifícium, erga quod semper única movebátur devotióne, offérre consuévit. Virtúte castitátis excélluit. Virtus autem humilitátis fuit speciáliter virtus Ioseph, quæ super virtútes álias in ipsíus corde, una cum virtúte caritátis Dei et próximi thronum regális celsitúdinis obtinébat. Prophético spíritu cláruit, quo tum martýrium sancti Engelbérti Archiepíscopi Coloniénsis, tum própriam mortem et locum sepultúræ prædíxit. Sénio confectus, virtutibúsque clarus, in monastério Cisterciénsium Hoviénsi, ubi sacrum agébat ministérium, quinta post Pascha féria circa médium sæculum décimum tértium suprémum diem óbiit. Eius sanctitátis, necnon et miraculórum fama inde mirífice crevit, eiúsque sepúlcrum in monastério Steinfeldénsi factum est gloriósum. Pius autem duodécimus, Póntifex Máximus, sacræ Rítuum Congregatiónis votis obsecúndans, cultum Beáto Hermánno Iosépho, Sancto nuncupáto, ab immemorábili témpore præstitum, confirmáre benígne dignátus est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. p. Allelúia.) ℟. Et osténdit illi regnum Dei. (T. p. Allelúia.)

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui. (T. p. Allelúia.)

Oratio

Deus, qui beátum Hermánnum Ioséphum Confessórem tuum in benedictiónibus dulcédinis a puerítia prævenísti: præsta, quæsumus; ut innocéntis et sanctæ vitæ eius vestígiis insisténtes, ad cæléstem pátriam, in qua gloriósus exsúltat, secúri perveniámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. p. Allelúia.) ℟. Et osténdit illi regnum Dei. (T. p. Allelúia.)

Ad Magnif. ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu. (T. p. Allelúia.)

Oratio

Deus, qui beátum Hermánnum Ioséphum Confessórem tuum in benedictiónibus dulcédinis a puerítia prævenísti: præsta, quæsumus; ut innocéntis et sanctæ vitæ eius vestígiis insisténtes, ad cæléstem pátriam, in qua gloriósus exsúltat, secúri perveniámus. Per Dñm.

Die 22 aprilis
S. CONRADI
A PARZHAM
Confessoris
III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Conrádus in vículo Parzham dicœsis Passaviénsis piis honestísque paréntibus natus, inde a púero, modéstia et solitúdinis amóre, quanta futúrus esset sanctitáte, præmonstrávit. Integra iuventúte, in agrórum cultúra transácta, ut Deo libérius famularétur, mundo valedícere státuit; quapróptter, perámplo património abdicáto, inter fratres láicos órdinis Minórum Capuccinórum adnumerári obtínuit. Statim ab emíssa professióne, ad sanctæ Annæ convéntum civitátis Vetœttíngæ missus est, ibíque ianitóris offício addíctus; quod ad óbitum usque máximo proximórum emoluménto in ómnibus tum ánimæ tum córporis necessitátibus exércuit. Erga Eucharístiam assíduo flagrávit devotiónis afféctu, et Deíparam Vírginem tamquam matrem cotidiánis obséquiis cóluit. Migrávit ad Dóminum anno millésimo octingentésimo nonagésimo quarto, ætátis suæ septuagésimo sexto. Hunc Dei fámulum Pius Papa undécimus anno millésimo nongentésimo trigésimo inter Beátos réttulit; novísque miráculis fulgéntem, quadriénnio post, idem Summus Póntifex Sanctórum fastis sollémniter adscrípsit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúia.

Oratio

Deus, qui misericórdiæ tuæ iánuam fidélibus patére voluísti: te súpplices exorámus; ut, intercedénte beáto Conrádo Confessóre tuo, temporália subsídia nobis tríbuas et ætérna. Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio Ss. Soteris et Caii Summorum Pontificum et Martyrum:

Ant. Fíliæ Ierúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die sollemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúia. ℟. Mors Sanctórum eius, allelúia.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátos Sotérem et Caium, Mártyres tuos atque Summos Pontífices, perpétua protectióne custódi; quos totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastóres. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Ad Magnif. ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu, allelúia.

Die 27 aprilis
S. PETRI CANISII
Confessoris et Eccl. Doct.
II classis

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea quæ hic habentur propria.

AD MATUTINUM

In I Nocturno lectiones Sapiéntiam, de Communi Doctorum.

In II Nocturno

Lectio iv

Petrus Canísius, Noviómagi in Gélria eo ipso anno natus est, quo Luthérus in Germánia, apérta rebellióne, ab Ecclésia descívit, et Ignátius de Loyóla in Hispánia, ter-

réstri milítia abdicáta, ad præliánda prœlia Dómini se convértit; Deo nimírum portendénte, quos ille posthac adversários, quem sacræ milítiæ ducem esset habitúrus. Colóniæ Agrippínæ, quo studiórum causa concésserat, perpétuo castitátis voto se Deo obstrínxit, et paulo post Societáti Iesu nomen dedit. Sacerdótio auctus, cathólicam fidem contra novatórum insídias legatiónibus, sermónibus, scriptis libris statim defendéndam suscépit. Ob præcláram sapiéntiam et explorátum rerum usum a Cardináli Augustáno et a pontifíciis legátis magnópere expetítus, semel atque íterum Concílio Tridentíno intérfuit; cuius étiam decréta ex auctoritáte Pii quarti Pontíficis Máximi rite per Germániam promulgánda et in morem inducénda curávit. A Paulo quarto ad convéntum Petricoviénsem ire iussus, aliísque a Gregório décimo tértio legatiónibus obeúndis adhíbitus, álacri semper et numquam fracto difficultátibus ánimo, gravíssima religiónis negótia tractávit, ac vel inter præséntia vitæ discrímina ad felícem éxitum perdúxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúia. ℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Supérno caritátis igne, quem in Basílica Vaticána e penetrálibus Cordis Iesu olim copióse háuserat, inflammátus, et divínæ glóriæ amplificándæ únice inténtus, dici vix potest, quot, per annos ámplius quadragínta, labóres suscéperit, ærumnásque pertúlerit, ut complúres Germániæ civitátes ac províncias vel ab hæréseos contagióne defénderet, vel, háresi infectas, cathólicæ fídei restitúeret. In Ratisbonénsi et Augustáno convéntu impérii próceres ad iura Ecclésiæ tuénda et mores populórum emendándos excitávit; in Vormatiénsi insolescéntes impietátis magístros ad siléntium

adégit. A sancto Ignátio Germániæ Superióris provínciæ præféctus, domos et collégia multis locis cóndidit. Collégium Germánicum, Romæ constitútum, omni ope provéhere atque amplificáre stúduit; in academíis sacrárum humanarúmque disciplinárum stúdia, miserándum in modum collápsa, instaurávit; contra Centuriatóres Magdeburgénses duo volúmina egrégie conscrípsit: et summam doctrínæ christiánæ, theologórum iudício et público trium sæculórum usu ubíque probatíssimam, aliáque complúra ad populórum institutiónem valde accommodáta in vulgus édidit. Quam ob rem hæreticórum málleus et alter Germániæ apóstolus appellátus, plane dignus hábitus est, qui ad tutándam in Germánia religiónem divínitus eléctus putarétur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúia. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

Inter hæc, precatióne crebra et assídua rerum supernárum commentatióne, lácrimis sæpe perfúsus et ánimo intérdum a sénsibus abdúcto, Deo se coniúngere sólitus erat. A viris princípibus vel sanctitáte claríssimis et a quátuor Summis Pontifícibus magno in honóre hábitus, ádeo de se demísse sentiébat, ut se ómnium mínimum et díceret et habéret. Vindobonénsem episcopátum semel, íterum ac tértio recusávit. Moderatóribus suis obsequentíssimus, parátus erat ad ipsórum nutum ómnia relínquere aut ággredi, étiam cum valetúdinis et vitæ perículo. Voluntária sui ipsíus coercitióne castitátem perpétuo sepsit. Demum Fribúrgi Helvetiórum, ubi plúrimum pro Dei glória et salúte animárum últimis vitæ suæ annis desudáverat, migrávit ad Deum die vicésima prima decémbris anno millésimo quingentésimo nonagésimo séptimo, ætátis suæ séptimo supra septuagésimum. Hunc vero strénuum cathólicæ veritátis

propugnatórem Pius Papa nonus cælitum Beatórum honóribus adáuxit; novis autem fulgéntem signis Pius undécimus, Póntifex Máximus, anno iubiláei, Sanctórum número accénsuit, simúlque Doctórem universális Ecclésiæ declarávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi iustum coram me ex ómnibus géntibus, allelúia. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Petri Canísii Presbýteri

(Notæ in Evangelia, in Festo S. Martini Ep., post initium)

Amábo et colam missos a Christo Apóstolos horúmque successóres in Evangélii sémine spargéndo sédulos et indefessos propagándi verbi cooperatóres, qui iure testári possunt: Sic nos exístimet homo ut minístros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Vóluit enim Christus ut vigilantíssimus ac fidelíssimus paterfamílias per tales minístros ac legátos lucérnam evangélicam igne cælitus demísso accéndi, et accénsam non módio suppóni, sed super candelábrum constítui, quæ suum splendórem longe latéque diffúnderet omnésque tum Iudæórum tum géntium vigéntes ténebras et erróres profligáret.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúia. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii

Etenim evangélico Doctóri sat non est, verbo lucére pópulo et vocem in

desérto clamántem præstáre, multísque in pietáte iuvándis lingua óperam dare, ne alióquin, si verbi ministérium prætermíttat, canis mutus non valens latráre a prophéta dicátur. Sed et ardére illum opórtet, ut, ópere atque caritáte instrúctus, munus suum ornet evangélicum, Paulúmque ducem sequátur. Is quippe non conténtus Ephesiórum epíscopo demandáre: Præcipe hoc et doce: labóra sicut bonus miles Christi Iesu; constánter étiam apud amícos et inimícos evangelizávit, ac epíscopis apud Ephesum colléctis bona dixit consciéntia: Vos scitis quómodo nihil subtráxerim utílium, quóminus annuntiárem vobis, et docérem vos públice et per domos, testíficans Iudæis atque gentílibus in Deum pæniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os eius, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus, allelúia. ℣. Iucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

Talem enim pastórem decet esse in Ecclésia, qui, more Pauli, ómnibus ómnia fiat, ut in illo repériat æger curatiónem, mæstus lætítiam, despérans fidúciam, imperítus doctrínam, dúbius consílium, pænitens véniam atque solácium, et quidquid tandem ad salútem est cuique necessárium. Quocírca pulchre Christus, cum primários mundi Ecclesiæque doctóres constitúere vellet, non sat hábuit discípulis dícere: Vos estis lux mundi: sed étiam illud subiécit: Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita, neque accéndunt lucérnam et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Errant enim opinántes ecclesiástæ, quod múneri suo doctrínæ splendóre magis quam vitæ integritáte et caritátis ardóre possint satisfácere.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúia.

Oratio

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum Confessórem tuum virtúte et doctrína roborásti: concéde propítius; ut eius exémplis et mónitis errántes ad salútem resipíscant, et fidéles in veritátis confessióne persevérent. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus.

Ad Horas minores antiphona et psalmi de feria currenti.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Ad Magnif. ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Petre, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúia.

Completorium de dominica.

Die 5 iunii
S. BONIFATII
Episcopi et Martyris
II classis

Omnia de Communi Martyrum tempore paschali, præter ea quæ hic habentur propria.

AD MATUTINUM

In I Nocturno lectiones A Miléto, de Communi unius Martyris extra tempus paschale cum responsoriis pro tempore paschali ibidem notatis.

In II Nocturno
Lectio iv

Bonifátius, ántea Winfrídus appellátus, apud Anglos natus est exeúnte sæculo séptimo, et ab ipsa infántia mundum aversátus, vitam monásticam in votis hábuit. Cum eius pater ánimum sæculi illécebris permutáre frustra tentásset, monastérium ingréditur, et sub beáti Wolphárdi disciplína ómnium virtútum ac scientiárum génere imbúitur. Annum agens trigésimum sacerdótio insignítur, ac verbi divíni prædicátor assíduus, magno animárum lucro hoc in múnere versátur. Attamen, regnum Christi adaugére desíderans, contínuo flebat ingéntem multitúdinem barbarórum, qui ignorántiæ ténebris immérsi dæmoni famulabántur. Qui quidem animárum zelus cum in dies inexstinguíbili ardóre accrésceret, divíno númine per lácrimas et oratiónes exploráto, facultátem a monastérii præpósito obtínuit ad Germánicas oras proficiscéndi.

℟. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum: gáudium et exsultatiónem obtinébunt. Et.

Lectio v

Ex Anglia duóbus cum sóciis navem solvens, Dorestádium in Frísiæ óppidum venit. Cum autem bellum gravíssimum inter Frísonum regem Radbódum et Cárolum Martéllum exarsísset, sine fructu Evangélium prædicávit. Quaprópter in Angliam revérsus, ad suum redívit monastérium, cui invítus præfícitur. Post elápsum biénnium, ex consénsu epíscopi Vintoniénsis, munus abdicávit, et Romam profóctus est, ut apostólica auctoritáte ad gentílium conversiónem delegarétur. Cum ad Urbem pervenísset, a Gregório secúndo benígne excípitur, pro Winfrído Bonifátius a Pontífice nominátur. In Germániam diréctus, Thuríngiæ Saxoniæque pópulis Christum annuntiávit. Cum intérea Radbódus, Frísiæ rex ac infestíssimus christiáni nóminis hostis, occubuísset, Bonifátius ad Frísones rédiit, ubi, sancti Willibrórdi sócius per triénnium tanto cum fructu Evangélium prædicávit, ut, destrúctis idolórum simulácris, innúmeræ vero Deo ecclésiæ excitaréntur.

℟. In servis suis, allelúia, * Consolábitur Deus, allelúia. ℣. Iudicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. Consolábitur.

Lectio vi

A sancto Willibrórdo ad episcopále munus expetítus, illud detrectávit, ut prómptius infidélium salúti instáret. In Germániam profóctus, plura Hassórum míllia a dæ-

monis superstitióne avocávit. A Gregório Pontífice Romam evocátus, post insígnem fídei professiónem epíscopus consecrátur. Exínde ad Germános redux, Hássiam et Thuríngiam ab idololatríæ relíquiis pénitus expurgávit. Tanta propter mérita Bonifátius a Gregório tértio ad dignitátem archiepiscopálem evéhitur, et tértio Romam proféctus a Summo Pontífice Sedis apostólicæ legátus constitúitur. Qua insignítus auctoritáte quátuor episcopátus instítuit, et várias sýnodos celebrávit, inter quas concílium Leptinénse memorábile est, apud Belgas in Cameracénsi diœcési celebrátum, quo quidem témpore ad fidem in Bélgio adaugéndam egrégie cóntulit. A Zacharía Papa creátus Moguntínus archiepíscopus, ipso Pontífice iubénte, Pipínum in regem Francórum unxit. Post mortem sancti Willibrórdi Ultraiecténsem ecclésiam gubernándam suscépit, primo per Eóbanum, deínde per seípsum, dum ab ecclésia Moguntína absolútus Ultraiécti resédit. Frisónibus ad idololatríam relápsis, Evangélium prædicáre rursus aggréditur, cumque offício pastorali occupárétur, a bárbaris et ímpiis homínibus iuxta Bornam flúvium cum Eóbano coepíscopo multísque áliis cruénta cæde peremptus martýrii palma condecorátur. Corpus sancti Bonifátii Mogúntiam translátum, et, ut ipse vivens petíerat, in Fuldénsi monastério, quod exstrúxerat, recónditum fuit, ubi multis miráculis incláruit. Pius autem nonus Póntifex Máximus, eius Offícium et Missam ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Fíliæ Ierúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus * In die sollemnitátis et lætítiæ, allelúia. ℣. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fílios tuos in te. In. Glória Patri. In.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

In illo témpore: Videns Iesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius. Et réliqua.

Homilía
sancti Augustíni Epíscopi

Liber 1 de Sermone Domini in monte, cap. 2

Beáti mundo corde; quóniam ipsi Deum vidébunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterióribus óculis quærunt, cum corde videátur, sicut álibi scriptum est: Et in simplicitáte cordis quærite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemádmodum lumen hoc vidéri non potest, nisi óculis mundis: ita nec Deus vidétur, nisi mundum sit illud, quo vidéri potest. Beáti pacífici; quóniam ipsi fílii Dei vocabúntur. In pace perféctio est, ubi nihil repúgnat; et ídeo fílii Dei pacífici, quóniam nihil in his resístit Deo, et útique fílii similitúdinem patris habére debent.

℟. Ego sum vitis vera, et vos pálmites: * Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia. ℣. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Qui.

Lectio viii

Pacífici autem in semetípsis sunt, qui omnes ánimi sui motus componéntes, et subiciéntes ratióni, id est menti et spirítui, carnalésque concupiscéntias habéntes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordináta ómnia, ut id, quod est in hómine præcípuum et excéllens, hoc ímperet, céteris non reluctántibus, quæ sunt nobis bestiísque commúnia; atque idípsum quod excéllit in hómine, id est mens et rátio, subiciátur potióri, quod est ipsa véritas, unigénitus Fílius Dei. Neque enim imperáre inferióribus potest, nisi superióri se ipse subíciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra homínibus bonæ voluntátis; hæc vita consummáti perfectíque sapiéntis.

℟. Cándidi facti sunt Nazaræi eius, allelúia; splendórem Deo dedérunt, allelúia: * Et sicut lac coaguláti sunt, allelúia, allelúia. ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

De huiúsmodi regno patíssimo et ordinatíssimo missus est foras princeps huius sæculi, qui pervérsis inordinatísque dominátur. Hac pace intrínsecus constitúta atque firmáta, quascúmque persecutiónes ille, qui foras missus est, forínsecus concitáverit, auget glóriam, quæ secúndum Deum est; non áliquid in illo ædifício labefáctans, sed deficiéntibus máchinis suis innotéscere fáciens, quanta firmitas intus exstrúcta sit. Ideo séquitur: Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam; quóniam ipsórum est regnum cælórum. Te Deum.

AD LAUDES

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúia. ℟. Mors Sanctórum eius, allelúia.

Ad Bened. ant. Fíliæ Ierúsalem, * veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die sollemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

Oratio

Deus, qui multitúdinem populórum beáti Bonifátii Mártyris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut, cuius sollémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS

℣. Pretiósa, ut supra.

Ad Magnif. ant. Sancti et iusti, * in Dómino gaudéte, allelúia: vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

Completorium de dominica.

CALENDARIUM

DECEMBER

2	S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct., com. S. Bibianæ Virg. et Mart.	III cl.	1*
4	S. Barbaræ Virg. et Mart.	III cl.	1*

MARTIUS

1	S. Suitberti Ep. et Conf.	III cl.	2*
15	S. Clementis Mariæ Hofbauer Conf.	III cl.	3*
26	S. Ludgeri Ep. et Conf., Patroni secundarii diœcesis	II cl.	4*

APRILIS

7	S. Hermanni Iosephi Conf.	III cl.	8*
22	S. Conradi a Parzham Conf., com. Ss. Soteris et Caii Pp. et Mm.	III cl.	10*
27	S. Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct.	II cl.	11*

IUNIUS

5	S. Bonifatii Ep. et Mart.	II cl.	16*

APPROBATIO

Concordat cum originalibus approbatis.

Essendiæ, die 26 februarii 1964

KRAUTSCHEIDT

Vic. gen.

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 25 februarii 1964

DR. C. HOFMANN

Vic. gen.

Ratisbonæ, sumptibus et typis Friderici Pustet